



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Disp. CIII. Quid sit infinitas potentiæ Dei, & qua ratione distinguatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

3. Præterea. Philosophus probat in 8. Phys. quod si potentia alicuius corporis esset infinita, moueretur instanti. Deus autem non mouet in instanti, sed mouet creaturam spirituales per tempus, creaturam vero corporalem per locum & tempus, secundum Aug. 8. super Genes. ad litteram. Non ergo est eius potentia infinita.

Sed contra est quod dicit Hilar. 8. de Trinit. quod Deus est immensæ virtutis viuens & potens. Omne autem immensum est infinitum. Ergo virtus diuina est infinita.

Respondeo dicendum, quod sicut iam dictum est, secundum hoc potentia actiua inuenitur in Deo, secundum quod ipse actu est. Esse autem eius est infinitum, in quantum non est limitatum per aliquid recipiens, ut patet per hæc, quæ supra dicta sunt, cum de infinitate diuinæ essentia ageretur. Vnde necesse est, quod actiua potentia Dei sit infinita. In omnibus enim agentibus hoc inuenitur, quod quanto aliquod agens perfectius habet formam, qua agit, tanto est maior eius potentia in agendo. Sicut quanto est aliquid magis calidum, tanto habet maiorem potentiam, ad calefaciendum. Et haberet utique potentiam infinitam ad calefaciendum, si eius calor esset infinitus. Vnde, cum ipsa essentia diuina, per quam Deus, agit, sit infinita (sicut supra ostensum est) sequitur quod eius potentia sit infinita.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus loquitur de infinito, quod est ex parte materiae non terminatae per formam: cuiusmodi est infinitum, quod conuenit quantitati. Sic autem non est infinita diuina essentia (ut supra ostensum est) & per consequens nec eius potentia. Vnde non sequitur quod sit imperfecta.

Ad secundum dicendum, quod potentia agentis vniuoci tota manifestatur in suo effectu. Potentia enim generatiua hominis nihil potest plusquam generare hominem. Sed potentia agentis non vniuoci non tota manifestatur in sui effectus productione. Sicut potentia Solis non tota manifestatur in productione alicuius animalis ex putrefactione generati. Manifestum est autem quod Deus non est agens vniuocum. Nihil enim aliud potest cum eo conuenire neque in specie, neque in genere, ut supra ostensum est. Vnde relinquatur, quod effectus eius semper est minor, quam potentia eius. Non ergo oportet quod manifestetur infinita potentia Dei in hoc quod pro-

Vasquez in 1. p. tom. I.

ducat effectum infinitum. Et tamen etiam si nullum effectum produceret, non esset Dei potentia frustra: quia frustra est, quod ordinatur ad finem, quem non attingit. Potentia autem Dei non ordinatur ad effectum sicut ad finem, sed magis ipsa est finis sui effectus.

Ad tertium dicendum, quod Philosophus in 8. Physic. probat, quod si aliquod corpus haberet potentiam infinitam, quod moueretur in non tempore. Et tamen ostendit, quod potentia motoris cæli est infinita: quia mouere potest tempore infinito. Relinquitur ergo secundum eius intentionem, quod potentia infinita corporis si esset, moueretur in non tempore: non autem potentia incorporei motoris. Cuius ratio est, quia corpus mouens aliud corpus est agens vniuocum. Vnde oportet quod tota potentia agentis manifestetur in motu. Quia igitur quanto mouentis corporis potentia est maior, tanto velocius mouet: necesse est, quod si fuerit infinita moueat improporcionabiliter citius, quod est mouere in non tempore. Sed mouens incorporeum est agens non vniuocum. Vnde non oportet, quod tota virtus eius manifestetur in motu, ita quod moueat in non tempore. Et præsertim, quia mouet secundum dispositionem suæ voluntatis.

Notatio circa articulum.

Conclusio articuli est. Potentia Dei est infinita. Eius vero ratio manifesta est in littera, & sequenti disp. magis explicabitur. Nam solum nota circa textum S. Thom. hic eum non ageret de infinitate essentia, de hac enim qu. 7. disputatum est, sed de infinitate essentia, quæ ratione differt ab infinitate essentia, sicut ipsa potentia ab essentia distinguitur: quæ quidem differentia in disputat. parebit.

DISPUT. CIII.

Quid sit infinitas potentia Dei, & quatione distinguatur.

Varia opiniones, cap. 1.

Facilior explicatio. & demonstratio infinitatis potentia Dei, cap. 2.

Argumentum contra prædictam sententiam, cap. 3.

CAPVT I.

Varia opiniones.

Potentiam Dei esse infinitam, sicut est eius essentia, sapientia, duratio, & alia attributa, nemo dubitat, tamen non omnes eodem modo potentia Dei explicant. Referemus ergo in hoc cap. aliorum rationes, ut sequenti ex propria sententia eam explicemus, & demonstremus. Primo quidem Henricus in summa artic. 25. q. 6. & S. Thom. infra qu. 45. a. 5. ad 3. S. Thom. or-

Mmm 2

pro-

probant infinitatem potentie Dei ex creatione hoc modo. Vt agens educat effectum de aliqua potentia subiecti, requirit necessario aliquam virtutem, & vt de minori potentia maiorem virtutem, quia quo magis crescit difficultas ex parte subiecti, maior est necessaria virtus ex parte agentis: vt ergo producat effectum de nulla potentia, hoc est de nihilo necessaria est virtus infinita, cum nulla omnino maneat proportio inter nihilum, & virtutem potentie ad creandum.

Scotus.
Duran.

Impugnatur
Scot. &
Duran.

Quo pacto
ens à nihilo
distat infiniti-
te.

2

Aristot.
Secunda opi-
nio probatur
ex tempore
infinito quo
mouetur.
Gregor.
Scotus.

Explicatur
ab Scot. &
Duran.

Quid probet.

Hanc rationem impugnant Scotus, & Durandus locis inferius allegandis: quoniam licet inter nullam potentiam, & quemlibet effectum non sit vlla proportio; non tamen est distantia infinita: nihil enim non exceditur ab ente, nisi ratione entitatis, quæ finita est. Quod si nihilum, & aliquid distat dicantur infinite, sicut vna species ab alia; genus hoc infinitatis non est simpliciter, sed quadam similitudine; quia scilicet ita inter se distat, vt nec per augmentum, nec per decrementum vnum possit aliud attingere, quod est proprium finiti comparatione infiniti: hæc autem infinitas non videtur latius, vt requirat potentiam infinitam in genere potentie. Quod enim aliqua potentia producat tantum vnam speciem, vt accidit in agentibus vniuocis; alia vero duas species, vt in æquiuocis, quæ plura specie diuersa producant; non arguit potentiam infinitam in ea, quæ producit effectum diuersum specie. Hanc vero ratione fufius examinabimus, & confirmabimus infra disput. 27. c. 1.

Secunda ratio asseritur solet ex Aristot. 8. phys. 10. & 12. Metaph. 7. vbi probat infinitam potentiam Dei, aut primæ intelligentie mouentis cælum, ex infinito tempore, quo mouet, quam late profequitur Greg. in 1. d. 43. q. 3. a. 1. & Scot. in 1. d. 2. q. 2. §. Ostenditur igitur. Aduertit tamen, ea solum ostendi infinitatem potentie Dei secundum durationem, quæ est infinitas æternitatis, & Angelo posset communicari, aut vt infinito tempore sine initio moueret, aut saltem sine fine, quorum neutrum repugnat: & quamuis infinitas durationis solius Dei esset, nihil hac ratione probaretur. Hic n. alium modum infinitatis inuestigamus, qui proprius est potentie Dei, quatenus potentia est: nam infinitas durationis est alia perfectio, & attributum Dei.

Fatentur vero Scot. & Durand. non cognouisse Arist. aliud genus infinitatis potentie Dei, quam durationis: subiungunt nihilominus, recte probari infinitatem potentie Dei secundum intentionem, quam putant esse propriam infinitatem illius, vt potentia est, si addamus, primam causam ita infinito tempore mouere, vt à se ipsa moueat, non ab alio. Sed certe genus hoc infinitatis non est proprium potentie, quod modo inquirimus, & omnino ei accidit illud, quod est, infinito tempore mouere, nam mouere à se ipso eadē ratione arguit infinitatem, sicut finito tempore, atq; si esset infinito. Illud enim, à se, intelligitur nulla virtute villo modo medicata, aut accepta ab alio, quod ita proprium Dei est, vt etiam nec per finitū tempus creaturæ possit conuenire. Ceterum hoc genus infinitatis potius est essentie, quam potentie, vt potentia est, de quo disp. 25. fufius differuimus. Eo enim essentia Dei dicitur infinita, vt eodē loco c. 5. explicauimus, quod à se ipsa, & nullo alio habet essentia in præfenti de infinitate, quæ est propria potentie cōtrouersia certa est quatuor vna non est confundenda cum alia, sed distinguenda, sicut in-

finitas durationis præfentie, & comprehensionis sunt etiam ratione diuersæ ab infinitate essentie.

Tertia ratio est Durandi in 1. d. 43. q. 1. n. 13. quam desumit ab effectu, hoc modo. Illa potentia est infinita, quæ aut producit effectum infinitum similem, aut saltem successiue potest producere. Id enim, quod successiue inuenitur in effectu virtutis simul est in ipsa potentia. Cumque ipse Durand. in 1. d. 44. q. 2. asserit, non posse produci species rerum diuersas in infinitum, de quo disp. 106. dicemus, infinitatem Dei ex sola infinitate indiuiduorum, quæ possunt produci, ipse colligit. Verum hæc ratio nihil probat: nam si cælum, & Sol ab æterno essent, & successiue ex putrefactione generassent, infinita animalia numero saltem diuersa, ob id tamen potentia Solis, aut cæli non esset infinita ratione potentie, sed sola duratione æternitatis participare, de qua non est præfens cōtrouersia. Vt ergo probetur infinitas potentie Dei in genere potentie, alia ratione vtendum est. Ratio quidē hæc demonstrat id, quod contendimus, si potentia Dei posset saltem successiue producere in infinitum nouas rerum species sine fine, vt sequenti c. videbimus: at in opinione Durandi certe nihil probat. Mihi multas alias rationes auctoris, quod minoris momenti videantur, & ad manifestam huius rei demonstrationem gradum facio.

CAPVT II.

Facilior explicatio, & demonstratio infinitatis potentie Dei.

Antequam argumentis demonstremus infinitatem potentie Dei operæpretium duxi rationem infinitatis, quam inuestigamus, explicare. Quidam enim eo putant, potentiam esse infinitam, & quodlibet attributum, etiam nostro modo intelligendi, quod vni essentialiter includatur in alio, veluti ens in omnibus rebus; cumq; infinitæ sint diuinæ perfectiones, & attributa, idcirco essentiam ipsam Dei, & quamlibet eius perfectionem infinitam esse docent. Verum, præterquam quod nostro modo intelligendi ita mutua-tem attributa distinguuntur, vt vnum non includat aliud, vt disput. 119. cap. 2. ostendimus, nam alioqui confunderebantur, etiam in nostra cognitione, quod plurimum obesse modo loquendi, quo inter homines vti necesse est hac via etiā explicari, nequit, aut defendi infinitas potentie, quam inquirimus: tum etiam quia hoc modo eadem esset infinitas essentie, & potentie secundum rationem, cum tamen à nobis distinguatur. Quilibet enim perfectio ita nostro modo concipiendi, deo attribuitur, vt in suo genere sit finita intelligatur, & non minetur. Neque enim soli dicimus Deum vnde quaq; perfectum esse, aut in finitis perfectionibus ita ornatum, vt nihil ei desit; verum etiam ita potentem, vt eius potentia sit infinita in genere potentie, & ob id omnipotentia dicatur, non quidem infinita, quia ita posset, vt simul sciat, prudenter, & iste agat, sed quia omnia posset, & in infinitum aliquem effectum virtutem habeat: sicut scientia Dei non dicitur infinita, quia sit simul infinita sanctitas, & alie perfectiones, sed quia infinita cognoscat; & duratio eius; seu æternitas, non ideo est infinita, quia alias in se perfectiones, & attri-

attributa contineat; sed quia sine initio, & sine fine. Cum ergo cuilibet attributo in suo proprio genere infinitas sua conueniat, potentia dici debet infinita ex obiecto, sicut etiam scientia, & voluntas. Nunc igitur ratione probanda nobis est hæc infinitas potentie Dei.

Prior ratio sit, quam assertit S. Doctor in hoc art. in hunc modum. Essentia Dei est infinita, ut patet ex quæst. 7. artic. 1. ergo & potentia, quæ ipsam nostro modo intelligitur tanquam passio consequitur, erit infinita in suo genere. Hæc ratio probat quidem esse infinitam potentiam in suo genere, si ex parte obiecti non repugnat, hoc est, si excogitari potest aliqua potentia infinita in genere potentie comparata cum obiecto: nam si aliqua esse potest, ea erit, quæ consequitur essentiam in ratione essentie infinitam: neque enim potentia infinita essentie infinitæ tribuenda est: non tamen probat, esse aliquod obiectum, cui respondeat virtus aliqua, & potentia infinita; quoniam licet Deus infinitus sit secundum essentiam, si tamen nullum est obiectum possibile, quod postulet infinitam potentiam, non dicemus in Deo esse infinitam, quatenus intelligitur à nobis relata ad obiectum, & hæc ratione ab aliis attributis distincta; sed dicemus esse maximam potentiam, quæ esse possit.

Posterior ratio probat Dei potentiam esse infinitam in genere potentie relata ad obiectum, hoc modo. Sunt aliqua possible quidem fieri, quæ tamen fieri nequeunt nisi à potentia infinita: ergo necesse est esse potentiam infinitam in rerum natura; quod si ea alicui conuenit primæ causæ tribuenda est. Hæc ratione virtutis Gregorius in 1. dist. 34. q. 2. quæ satis perspicue rem demonstrat, si id, quod assumit, manifestum fiat. Potest autem probati supponendo, species rerum possibile esse infinitas, ut multi arbitrantur: sic enim, tamen non possent omnes produci simul, sed data una possit alia fieri, recte colligitur in prima causa potentia infinita: si enim esset finita, tandem ad aliquam speciem deueniret, ultra quam non posset aliam addere: nam alioquin efficeretur, virtutem ipsam potentiam in se, quatenus potest operari, esse infinitam. Sed quia non nulli negant, species rerum possibile esse infinitas, de quo in art. ult. huius quæst. differemus; ideo aliunde illud probandum est; nam certius est potentiam Dei esse infinitam in genere potentie, quam species possibile esse infinitas, tum etiam ex infinitis solum indiuiduis non colligitur infinitas virtutis in potentia, sed infinitas durationis, qua successiue possunt infinita indiuidua virtute potentie finitæ produci, ut capit. 1. notauit.

Probat igitur Gregor. multis exemplis, ex quibus hoc vnum nobis sufficit. Quod licet corpus ita est aptum moueri, ut possit velocius, atque velocius agitari sine termino: ergo necesse est, esse aliquam potentiam, à qua velocius, atque velocius sine termino moueri queat: sed si omnis potentia esset finita, esset etiam terminus aliquis determinatus velocitatis, ultra quem velocius moueri non posset: cum ergo velocitas in infinitum crescere possit necesse est potentiam aliquam esse infinitæ virtutis: & quamuis nequeat infinitam velocitatem in motu aliquo producere, ut liquet; ipsa tamen virtus potentie in se infinita erit, quia actum eam virtutis habet, quæ potest velocius,

Vasquez in 1. part. Tom. I.

& velocius in infinitum corpus mouere: ac proinde habet virtutem sine fine, & termino in ratione potentie. Est etiam potentia Dei in genere potentie infinita, quia in productione singularium terminum non habet: potest enim plura, & plura in infinitum, non solum decursu temporis, sed etiam simul: si autem finita esset terminum haberet, ultra quem non posset plura simul producere, ut ex ratione facta colligitur. Hæc ratio quoad priorem partem sine controuersia demonstrat infinitatem potentie Dei. In nostra vero opinione, qui docuimus disp. 26. c. 3. posse infinitum à Deo produci simul, etiam quoad posteriorem partem, infinitatem potentie Dei probare posset.

Postremo obseruandum est, hanc infinitatem potentie ita esse Deo propriam, ut non possit creaturæ eodem modo communicari. Nam quamuis creaturæ tanquam instrumento Deus communicaret virtutem mouendi corpus velocius sine termino, ipsa tamen nunquam haberet virtutem ex se, nec in se ad mouendum corpus velocius in infinitum: tum quia illam virtutem haberet ab alio, à quo assumeretur ut instrumentum: tum quia illam non haberet actu infinitam; nunquam enim illam acciperet, nisi ad infinitum, & limitatum effectum. Eo igitur modo distinguitur infinitas potentie Dei ab infinitate potentie creaturæ, si illi posset communicari, sicut diximus disp. 25. cap. 5. differre infinitatem durationis creaturæ, si ei communicaretur, ab infinitate æternitatis Dei: quia duratio creaturæ non haberet ex se infinitatem, quam Dei æternitas ex se habet. Idemque dicendum esset, si Deus communicaret creaturæ virtutem creandi infinitam.

secundo confirmatur.

8.

Infinitas diuina potentia non potest communicari creaturæ.

CAPVT III.

Argumentum contra prædictam sententiam.

Est tamen argumentum, quod licet difficile non sit, nonnullis tamen negotiorum facessit, ad probandum, Deo non conuenire potentiam infinitam, & est huiusmodi. Si Deo esset potentia infinita, non solum posset mouere de loco ad locum per medium velocius, atque velocius in infinitum, sed etiam velocissime, hoc est, in instanti, quemadmodum Aristot. 8. Phys. capit. 10. probat, in corpore non posse reperiri virtutem infinitam ad mouendum, eo quod efficeret motum velocissime in non tempore, hoc est, in instanti. Nam virtus, quæ moueret in tempore, esset finita, & ea maior esse posset, quæ nimirum in minori tempore moueret; ergo infinita, & quæ maxima est, moueret, in instanti sed impossibile est motum fieri in instanti, de loco ad locum per medium: ergo impossibile est etiam in Deo esse potentiam, & virtutem infinitam; alioqui eodem argumento Aristot. non recte probaret, eam virtutem corpori conuenire non posse.

Respondet Auerroes 12. Metaph. commento 41. ideo ex infinita potentia Dei non sequi motum in instanti, ut argumentum contendit, quia secundæ causæ quæ finitæ sunt, limitant, & modificantur efficacitatem primæ. Hanc tamen solutionem impugnat Sanctus Thom. & Aegidius in 8. Phys. capit. 10. ut refert Caietan. infra citandus, quod non reddat rationem, cur secundæ causæ ita modificentur infinitam, virtutem primæ, ut impediant

9. Proponitur argumentum Aristot.

Auerroes solutio.

S. Thom. Aegidius. Reuocatur.

M m 3 diant

diant motum fieri in instanti; sed non impediant, quo minus motus possit esse duratione infinitus.

Caietan.
10.

Caietan. vero conatur rationem assignare, cur causa secunda non tollat infinitatem durationis in motu, sed infinitatem velocitatis impediat. In quo, mea quidem sententia, non est multum laborandum, cum constet infinitatem durationis non oriri ex infinitate potentie in genere potentie, sed ex infinitate durationis causæ, quæ potest cuilibet agendi creato communicari.

Auerroem
impugnat
Scotus.

Scotus etiam impugnat solutionem Auerrois, quoniam cum ex eius, & Aristot. sententia Deus agat necessario, sit, ut infinita eius efficacia per secundam causam limitari nequeat; quia causa quæ necessario agit, eodem modo cum alia, atque per seipsum operabitur. Ita arguit Scotus in 1. dist. 8. qu. ult. §. *Isti rationibus*. Respondet tamen optime Caietan. pro Commentatore hoc modo, licet aliquod agens necessario agat, si tamen cum secunda causa concurrat ad aliquem effectum, virtus eius finitur, & determinatur ab illa, cum se illi ad operandum accommodat: sicut sol cum diversis causis inferioribus diverso modo operatur. Ceterum quamvis Caietani, & Commentatoris ratio ostendat, tunc primam causam non mouere aliquid in instanti, cum mouet media secunda causa, non tamen probat, Deum per seipsum non posse mouere aliquod corpus in instanti, præsertim si ageret necessario, sicut corpus. Si enim corpus habens virtutem infinitam, moueret in instanti, eadem ratione moueret spiritus, si necessario operaretur. Quare argumento superius facto alio modo occurrere necesse est.

11.
Prima solutio.
Arg. Caietan.

Caietan. igitur in 3. tomo opusculi tractatu 2. quæst. 1. cuius meminit in commentario huius articuli, tribus modis respondet. Primo dicit satis esse, ut potentia Dei sit infinita, si ei respondeat effectus infinitus duratione. Verum ex dictis in capit. 1. liquet, ex infinita duratione effectus, non colligi propriam infinitatem potentie in ratione potentie. Adde, quod hæc solutio non satisfacit proposito argumento: neque enim satis explicat, quo pacto ex infinita virtute, quæ esset in corpore, colligat Arist. motum fieri in instanti; & idem non sequatur ex infinita potentia Dei.

Non satisfactio.

Secunda solutio eiusdem.

Secundum responsum sit, quod Caietan. tertio loco adhibet, ideo videlicet a potentia Dei infinita non posse fieri motum in instanti, quia id impossibile est, non quidem ex defectu potentie Dei, sed ipsius mobilis, quod talis effectus capax non est. Hæc tamen solutio etiam mihi non placet; quoniam si non possumus potentiam Dei obiectum infinitum assignare, vel tale, quod postulet virtutem infinitam, non poterimus Deo infinitam potentiam tribuere in genere potentie ad obiectum relatum, prout eam ab essentia & ab aliis attributis distinguimus, tamen essentia diuina in genere entis sit infinita. Atque eodem pacto argumentum Aristotelis non probaret, virtutem infinitam in corpore non esse ex eo, quod sequeretur motus in instanti: respondere enim quis posset, ideo non sequi motum in instanti, quoniam id impossibile est, non ex parte corporis mouentis: sed mobilis.

Tertio S. Th.
et Caietan.
vera.

Vera ergo solutio est, quam S. Tho. in hoc art. ad 3. paucis insinuat, & item Caiet. secundo loco inter alias adduxit, (mitto enim aliam, quam item S. Doctor ibidem etiam indicat) est autem huius-

modi. Si corpus haberet infinitam virtutem, ideo sequeretur motus in instanti (loquimur autem semper de motu per medium) quia agens illud esset naturale, & ex vi suæ naturæ ad vnum effectum ita determinatum, ut ei liberum non esset nunc minus, nunc magis mouere, sed semper totam vim ad mouendum exerceret: quocirca si moueret in tempore, quantumvis velox esset motus, non esset summe velox, ac proinde non postulare efficacitatem infinitam in motore. Ut ergo esset virtus motoris infinita, deberet fieri aliquis motus omnium velocissimus: talis autem esse nequit nisi instanti: ergo aut deberet esse motus in instanti, aut si esse non posset, nulla esset virtus infinita in corpore ad mouendum. Ceterum cum Deus agat libere efficacitate suæ potentie non determinatur ad vnum effectum, sed varios, prout ei libet, producit, & ita corpus secundum locum velocius, atque velocius mouere potest. Ex quo recte colligitur infinita virtus potentie. Quod enim in effectum possit magis, ac magis, producere sine termino, etiam infinitum actu non producat, efficacitatem arguit infinitam: nam si finita esset, responderet ei motus aliquis in tempore velocissimus, quem posset producere. Vt igitur colligamus, in Deo esse potentiam infinitam, quæ libere operatur, non est necesse ei assignare motum velocissimum, aut in tempore, aut in instanti: neutro enim modo esse potest: non in instanti, ut disp. 197. monstrabimus: non in tempore, quia quocunque assignato velocior esse potest in infinitum: infinitas ergo potentie non ex aliquo determinato motu, sed ex his, qui sunt in potentia in infinitum, recte colligitur.

Hactenus ex sola velocitate motus ostensum est, Dei potentiam infinitam esse: ego vero ex alio modo, alio etiam modo probari posse. Primum, quia potest infinitam multitudinem spirituum, vel etiam corporum creare, & conseruare, ut disp. 86. docui. Siue autem illa sit multitudo individualium in speciebus finitis, siue in infinitis, idem omnino sequitur. Nam licet ex eo, quod aliquod agens successive in infinitum producere possit individualium eiusdem speciei, non colligatur infinita virtus ipsius, ut cap. 1. notauimus, sed infinitas solum durationis; ex eo tamen, quod producat simul, aut conseruet infinitam multitudinem sub eadem specie, recte inferitur infinita virtus illius. Deinde deducitur etiam infinitas potentie Dei ex eo, quod possit infinitas species aut simul, aut etiam successiue producere, ut c. 1. dictum est. An vero sit certus numerus specierum, quæ fieri possunt, disput. 106. cap. 4. videbimus. Præter hos modos, quibus probatur ex effectibus infinitas potentie Dei, alios etiam affert Gregor. loco cit. quos longum esset recensere.

ARTICVLVS III.

Verum Deus sit omnipotens.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod Deus non sit omnipotens. Moueri enim & pati aliquid est commune omnium: sed hoc Deus non potest. Ergo Deus non est omnipotens.

2. Præ-

2. Præterea, Peccare, aliquid agere est. Sed Deus non potest peccare, neque seipsum negare, ut dicitur 2. Timoth. 2. ergo Deus non est omnipotens.

3. Præterea, de Deo dicitur, quod omnipotentiam suam parcendo maxime & miserando manifestat. Vltimum igitur, quod potest diuina potentia, est parcere & misereri. Aliquid autem est multo magis quam parcere & misereri, sicut creare alium mundum, vel aliquid huiusmodi. Ergo Deus non est omnipotens.

4. Præterea. Super illud 1. Corinth. 1. Stultam fecit Deus sapientiam huius mundi, dicit glossa. Sapientiam huius mundi, fecit Deus stultam, ostendendo possibile, quod illa impossibile iudicabat. Vnde videtur quod non sit aliquid iudicandum possibile vel impossibile secundum inferiores causas, prout sapientia huius mundi iudicat, sed secundum potentiam diuinam. Si igitur Deus sit omnipotens; omnia erunt possible. Nil ergo impossibile. Sublato autem impossibili, tollitur necessarium. Nam quod necesse est esse, impossibile est non esse. Nihil ergo erit necessarium in rebus, si Deus est omnipotens, hoc autem est impossibile. Ergo Deus non est omnipotens.

Sed contra est, quod dicitur Lucæ 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum.

Respondeo dicendum, quod communiter consentitur omnes, Deum esse omnipotentem. Sed rationem omnipotentie assignare, videtur difficile. Dubium enim potest esse, quid comprehendatur sub ista distributione, cum dicitur, omnia posse Deum. Sed si quis recte consideret (cum potentia dicatur ad possible) cum Deus omnia posse dicitur, nihil rectius intelligitur, quam quod possit omnia possible, & ob hoc omnipotens dicatur. Possible autem dicitur dupliciter secundum Phil. 17. 12. in 5. Metaph. Vno modo per respectum ad aliquam potentiam. Sicut quod subditur humane potentie dicitur esse possibile homini. Non autem potest dici, quod Deus dicatur omnipotens, quia possit omnia quæ sunt possible natura creatæ: quia diuina potentia in plura extenditur. Si autem dicatur, quod Deus sit omnipotens, quia potest omnia quæ sunt possible sua potentia, erit circulatio in manifestatione omnipotentie. Hoc enim non erit aliud quam dicere, quod Deus est omnipotens, quia potest omnia, quæ potest, relinquatur igitur quod Deus dicatur omnipotens, quia potest omnia possible absolute. Quod est alter modus di-

cendi possibile. Dicitur autem aliquid possibile vel impossibile absolute ex habitudine terminorum. Possible quidem, quia prædicatum non repugnat subiecto, ut Sortem, sedere. Impossibile vero absolute, quia prædicatum repugnat subiecto, ut hominem esse asinum. Est autem considerandum quod cum vnumquodque agens agat sibi simile, vnicuique potentie actiue correspondet possibile ut obiectum proprium secundum rationem illius actus, in quo fundatur potentia actiua. Sicut potentia calefactiua refertur, ut ad proprium subiectum ad esse calefactibile. Esse autem diuinum, super quod ratio diuinæ potentie fundatur, est esse infinitum non limitatum ad aliquod genus entis, sed præhabens in se totius esse perfectionem. Vnde quidquid potest habere rationem entis, continetur sub possiblebus absolutis, respectu quorum Deus dicitur omnipotens. Nihil autem opponitur rationi entis nisi non ens. Hoc igitur repugnat rationi possible absolute, quod subditur diuinæ omnipotentie: quod implicat in se esse & non esse simul. Hoc enim omnipotentie non subditur, non propter defectum diuinæ potentie, sed quia non potest habere rationem factibilis, neque possible. Quæcunque igitur contradictionem non implicat sub illis possiblebus continetur, respectu quorum dicitur Deus omnipotens. Ea vero quæ contradictionem implicat sub diuina omnipotentia non continentur, quia non possunt habere possiblem rationem. Vnde convenientius dicitur, quod ea non possunt fieri, quam quod Deus ea non possit facere. Neque hoc est contra verbum Angelis dicentis; Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Id enim quod contradictionem implicat, ut verbum esse non potest: quia nullus intellectus potest illud concipere.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus dicitur omnipotens secundum potentiam actiuam, non secundum potentiam passiuam, ut dictum, vnde quod non potest moueri & pati, non repugnat omnipotentie.

Ad secundum dicendum, quod peccare est deficere à perfecta ratione. Vnde posse peccare est posse deficere in agendo, quod repugnat omnipotentie. Et propter hoc Deus peccare non potest, qui est omnipotens. Quamuis Philosophus dicat in 4. Top. quod potest Deus & studiosus praua agere. Sed hoc intelligitur vel sub conditione, cuius antecedens sit impossibile, ut puta, si dicamus, quod

Mmm 4 potest

potest Deus praua agere; si velit. Nihil enim prohibet conditionalem esse veram, cuius antecedens & consequens est impossibile. Sicut si dicatur, si homo est asinus, habet quatuor pedes. Vel ut intelligatur, quod Deus potest aliqua agere, quæ nunc praua videntur, quæ tamen si ageret, bona essent. Velloquitur secundum communem opinionem gentilium qui homines dicebant transferri in Deos, ut Iovem, vel Mercurium.

Ad tertium dicendum, quod Dei omnipotentia ostenditur maxime in parcendo & miserendo: quia per hoc ostenditur Deum habere summam potestatem, quod libere peccata dimittit. Eius enim, qui superioris legi adstringitur, non est libere peccata condonare. Vel quia parcendo hominibus & miserendo perducit eos ad participationem infiniti boni, qui est ultimus effectus diuinæ virtutis. Vel quia; (ut supra dictum est) effectus diuinæ misericordiae est fundamentum omnium diuinorum operum. Nihil enim debetur alicui, nisi propter id quod est datum ei à Deo non debitum. In hoc autem maxime diuina omnipotentia manifestatur, quod ad ipsum pertinet i. instit. omnium bonorum.

Ad quartum dicendum, quod possibile absolutum non dicitur neque secundum causas superiores, neque secundum causas inferiores, sed secundum seipsum. Possibile vero, quod dicitur secundum aliquam potentiam, nominatur possibile secundum proximam causam. Unde ea, quæ immediate nata sunt fieri à Deo solo, ut creare, iustificare, & huiusmodi, dicuntur possible secundum causam superiorem. Quæ autem nata sunt fieri à causis inferioribus, dicuntur possible secundum causas inferiores. Nam secundum conditionem causæ proximæ, effectus habet contingentiam, vel necessitatem, ut supra dictum est. In hoc autem reputatur stulta mundi sapientia; quia ea, quæ sunt impossibilia naturæ, etiam Deo, impossibilia iudicabat. Et sic patet, quod omnipotentia Dei impossibilitatem & necessitatem à rebus non excludit.

Notatio circa articulum.

Conclusio articuli est affirmans, & est de fide, ut ex multis Scripturæ testimoniis constat. Doctrina totius articuli, verissima est, & subtilis, ita tamē perspicua, ut non indigeat explanatione, eam vero in disput. seq. referemus, & rationibus confirmabimus. Solum notandum est ex Caietano circa solutionem 4. cum S. Thom. dicit stultam esse sapientiam huius mundi, quæ impossibilia naturæ, putat esse impossibilia Deo; non loqui de philosophia secundum se; illa enim non docet falsum; sed de philosophia, qua abutuntur Philosophi, & temerarie iudicant de rebus diuinis, quas sua naturali philosophia non assequuntur.

Status controuersie, cap. 1.

Quid senserit Gabriel & Scotus, cap. 2.

Opinio Scoti, cap. 3.

Verior sententia, cap. 4.

Quomodo omnipotentia versetur circa non ens, cap. 5.

Neque relationem omnipotentia, neque aliquam aliam ad creaturas esse realem in Deo, cap. 6.

CAPVT I.

Status controuersie.

Omnia iussu Catholicis indubitatum est, Deum esse omnipotentem, id enim Scriptura palam pronuntiat. Quid vero circa Dei omnipotentiam senserint Abailardus, & Ioannes Wiclef, disput. 105. cap. 3. dicemus. Dubitant nihilominus aliqui, an ratione naturali demonstrari possit, Deum esse omnipotentem. Nam *Status in 1. d. 42. q. 1. & Gabriel eadem d. qu. 1. a. 1. & 2.* asserunt, solum demonstrari posse potentiam primæ causæ, quæ possit proxime per se ipsam, vel remote cōcurrente cum secundis causis omnia producere: at vero potentiam primæ causæ, quæ possit per se ipsam facere omnia, quæ potest per secundas causas & alias contradictionem non implicat, quo pacto Theologi de omnipotentia loquuntur, non posse ratione naturali demonstrari, sed sola fide diuina credi. Quia licet ratione naturali euidenter constet, esse primam causam rerum omnium, quæ virtutem in se habeat omnium causarum, non tamen est ita manifestum, eam non egere cōcursu secundarum causarum ad operandum.

Verumtamen ex infinitate potentie, quam sic euidenter colligitur, eam ita esse efficacem, ut omnem effectum virtutis suæ, & per se ipsam possit attingere, & in subiecto aut extra producere in subiecto, aut extra natura suæ esse possit. Nam si virtus est infinita in genere potentie, nullus effectus, nec modus operandi eam poterit subterfugere, si possibilis est. Quemadmodum, quia scientia Dei in genere scientiæ, & cognitionis infinita est, nullum scibile ipsam latere potest: hæc sola differentia est, quod scibile necessario comparatur scientiæ Dei, illa enim necessario fertur in id omne, quod scire potest: at vero non quilibet res necessario refertur ad potentiam Dei, ut ab ea producat, sed ut produci possit: eo quod potentia Dei non operatur, nisi secundum beneplacitum liberum voluntatis eius: si tamen non implicat contradictionem, aliquid per se esse, aut alteri esse, potentia Dei, quia infinita est, subiectum esse debet, ut producat. Quod si secundum probabiliorem opinionem non potest operatio vitalis cognitionis, aut appetitionis à solo Deo produci, ideo est, quia essentialiter pendet à secunda causa, & continue ab ea postulat conseruari, ut eam reddat cognoscentem, seu appetentem, & ita implicat contradictionem in se subiecto, quod reddit intelligens, aut appetens, nisi ab eo conseruetur: at vero quæ ita pendet à secunda causa, ut sine illius conseruatione manere possint, ab omnipotentia Dei sine conseruatione secundæ causæ poterunt produci, & conseruari. Denique quicquid non implicat contra-